DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE RHEUMATISMO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu*,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto*;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS VAUGHAN, ANGLO-BRITANNUS.

Ad diem 19 Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud G. HAMILTON & J. BALFOUR
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LVI.

VIRIS VERE ERUDITIS

FACULTATIS MEDICAE PROFESSORIBUS in *Academia Edinburgensi*,

D. JOANNI RUTHERFOORD, M. D. *Medicinæ Theoreticæ & Practicæ, & Collegii Practici Professori:*

D. CAROLO ALSTON, M. D. *Medicinæ, Botanices & Materiæ Medicæ Professori:*

D. ROBERTO WHYTT, M. D. *Medicinæ Theoreticæ & Practicæ, & Collegii Physiologici Professori:*

D. ALEXANDRO MONRO, M. D. *Anatomiæ & Chirurgiæ Professori*, R. S. S.

D. GULIELMO CULLEN, M. D. *Medicinæ & Chemiæ Professori:*

NEC NON,

JOANNI HILLS, ARMIGERO,

PRAECEPTORIBUS PLURIMUM COLENDIS:

OB SUMMAM, QUA ME, CONDISCIPULOS,

ET OMNE GENUS HUMANUM,

PROSEQUUNTUR

MUNIFICENTIAM, JURE CELEBERRIMIS,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

OFFERT

GULIELMUS VAUGHAN.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO.

CORPUS humanum compage atque fabrica ſua ab initio ſedem morborum multorum fuiſſe neceſſe eſt, quamquam intemperantia poſtea, luxus et deſidia ad hos augendos haud parum contulerint: cum fluidis et ſolidis conflatum ſit, ea inter ſe, ut aequilibrium ſervetur, mutuo collidi oportet, praeſertim quum diſpendio et inaequalitati partium componentium imò et impetui externorum obnoxium ſit, naturae ſolertiam, quod ad morbos attinet, potius mirari debemus, quam ſummi numinis placitis obmurmurare: ſatis enim conſtat, nihil aliud eſſe quam niſus quoſdam naturae ad omnia ſibi nociva eliminanda, quo corpori priſtina ſanitas atque integritas reſtituatur; revera autem niſi ita eſſet, corpori nihil emolumenti ex fluidorum motu atque indole, textura et actione ſolidorum accederet, nec quicquam niſi pondus iners exiſteret, ad ſe reficiendum prorſus ineptum, unde omnis morbus utut levis procul dubio per-

niciem secum afferret: aliter tamen rem sese habere experientia et observatis constat; multos enim gravissimis morbis nulla arte aut medicina adjutos revalescere, ac postea valetudine firma priore longe prosperiore, uti cernimus.

Nec me fallit, multos homines morbos tanquam abnormia quaedam phaenomena aestimare, ac potius luctationibus constitutionis infirmae atque debilitatae ortum ducere, quam quidquam in rerum natura esse; cuivis autem naturae in muneribus suis fungendis consilia curiosius indaganti liquido patebit, eam morbis generandis constanti ac aequabili tenore, vires suas semper intendere; ortum, statum et remissionem morbi habent, imo singulos gradus symptomata sibi propia comitantur.

Nec negandum est, varios morbos variis symptomatibus sese mutuo referre, alios autem ita complicatos videri, aliorum morborum seminibus simul commixtis, imo et symptomatis adeo intertextis, ut optimo medico horum speciem et naturam ad amussim finire perdifficile sit. Hoc in morbis epidemicis saepius accidit: peritus enim ille medicus Sydenhamus observat, variolis grassantibus, febrem anni illius plerumque naturae inflammatoriae esse, imo ab initio symptomata permulta similia habere; attamen semper aliqua praecipua phaenomena sunt, et singularia quaedam, aetate, sexu, victu, et aegrotantis habitu nata, quorum plurima memorare possumus, quae morbum

bum ab aliis diſtinguunt, et diligenter rem reputanti methodum curandi veram oſtendunt: hic enim naturam et verum, ut in omnibus aliis, quantum licet ſequi oportet, neque ad hypotheſes vel maxime ſpecioſas confugiendum eſt, niſi obſervationibus juſtis, experimentis accuratis, et recta ratione nitantur: morbis in genere leviter perſtrictis paucula quaedam de rheumatiſmo diſſerere in animo eſt.

Ῥευματισμὸς nomen a Ῥέω fluo ducit; eo quod veteres deſtillatione ex capite et viſceribus in artus et alias coporis partes naſci putabant: Graecis quoque nec immerito Κατάρρoος dictus. Sed Ballonius, ni fallor, primus uſum hujus vocis (*rheumatiſmi)* circumſcripſit, atque morbo jamjam tractando accommodavit.

Sin vero aliquid ex natura ejus et modo quo contrahitur conjicere liceat, eum inter morbos, qui primum genus humanum corripuerunt, fuiſſe probabile eſt, praeſertim cum homines tunc temporis iiſdem coeli mutationibus, et tempeſtatum viciſſitudinibus, quibus nunc, objicerentur; hinc enim multae ejus cauſae pendere videntur. Sed cum ars medica initio maxime apud Graecos, Ægyptios, et Arabes floreret, et terra eorum ſitu ipſo, coelo aequabiliore, et temperatiore frueretur, hunc morbum apud eos haud adeo crebrum fuiſſe veroſimile eſt; ac ſi quando ſe prodiderit, adeo mitis forſitan fuerit, ut vix nominatim perſcribendus videretur.

videretur. Hanc igitur ob causam antiquos eum omnino neglexisse, aut si quando mentio ejus occurreret, leves quosdam et errantes affectus, quam morbum verum ob oculos habuisse. Hippocrates in Aphorismis et libro de locis in homine, nonnulla ejus symptomata obiter memorat; sed Galenus prae aliis hunc morbum lib. 1mo, cap. 7mo, de differ. feb. consulto describere videtur; "Hujusmodi "quapiam ratione provenire scito, rheumaticos no-"minatos affectus, toto videlicet corpore infirmo, "principibus vero illius partibus, paululum licet "insit sanguinis, gravari tamen solitis, eumque ad "carneas cutis partes protrudentibus." Haec autem delineatio adeo imperfecta est, et modus quo causae atque ortus ejus rationem reddit, vera ejus natura tantum abhorret, ut tumor quidam potius quam rheumatismus aestimandus videatur.

Si vero antiqui ob supra memorata de rheumatismi indole et effectis parum satisfecerunt, recentiores saltem plerique eum ita morbis aliis implicuerunt, ut vix quidquam certi eorum scriptis de vera ejus natura colligi queat. Ex magna ejus cum arthritide affinitate, nullo adhibito descrimine fere describitur et medicorum vulgus, ut Riverius notat, naturae ejus ignari, morbum articularem universalem nuncupare solent. Sydenhamus, omnium auctorum quos mihi videre contigit, morbum hunc ejusque symptomata optime delineasse videtur; ac quamvis magis perfunctorie ac brevius quam caeteros

morbos,

morbos, attamen ea diligentia atque ſimplicitate quam in reliquis ejus ſcriptis cernere licet, tractavit: nec quidquam fere aliud actum ab his qui ſequuti ſunt, praeterquam quod ſententiam ejus exſcripſerunt; ſummam igitur eorum quae de hoc morbo dicta ſunt, ſcriptis ejus contineri cenſendum eſt.

DIFFICILE dictu quare auctores adeo negligenter et ſerviliter veſtigia ejus ſequuti ſunt, maxime ſi conſideremus quam gravia ſymptomata eum comitentur, ac quoties aegrotum in capitis periculum adducat. Praeterea ſummis medicis practicis notatum, hunc morbum apud noſtrates hac in inſula, annis nuper elapſis, vehementius multo quam antea ſaeviſſe, quod inclementiae ingenti, et perpetuae fere coeli mutabilitati, quibus objecti ſumus, forte tribuendum; ac proinde multa exempla notatu digna, unde plurima ad praxin utilia deduci atque inferri poſſent, haberemus; quin et morbi hiſtoriam et ejus curationem, magis numeris ſuis abſolutam, in medium proferre liceret; hanc tamen diſſertatiunculam, non obſtantibus hiſce difficultatibus, ſuſcepi et ad finem perduxi, haud ita ſcriptitandi pruritu, ac vana oſtentatione multos auctores citandi, parum utiliter forſan; quam ut legibus et conſtitutis hujus Academiae hac occaſione, aliquod ſpecimen progreſſus in ſtudiis jure poſtulantis obſequerer: de

Diagnoſi

Diagnofi igitur, Prognofi, et medendi methodo difceptare conabor.

DIAGNOSIS.

Rheumatismus in duo genera vulgo dividitur, acutum fcilicet et longum, quanquam hoc illius plerumque tantum confectarium fit; quovis anni tempore accidit, cum infignis aliqua mutatio a calore in frigus fiat, mutato fubito vento, maxime autem vere et autumno. Tremore, gravitate, et totius corporis laffitudine, una cum partium extremarum horrore, ac frigore, incipit; hifce, calor, fitis, pulfus velox ac plenus, et interdum naufea et vomitus fuccedunt. Haec fymptomata in diem aut biduum pro ratione vitae ac habitu aegroti, et pro viribus ac robore morbi jam coepti, majore aut minore violentia continuantur. Cum dolor excrucians unum aut plura membrorum five articulorum corripiat, praecipue autem humeros, carpos, et genua, nec partibus quas invafit contentus, nonnunquam enim huc illuc incredibili celeritate oberrat, hi dolores, motu magnopere exacerbantur, fi malum fedem in articulis fixerit; lecti quoque calor nocturno tempore eos plerumque auget atque magis intendit. Si paroxyfmus infignior fuerit, tumorem parvum ac rubedinem poft fe relinquit; urina coloris rubri eft, et fedimentum album deponit; fanguis emiffus

albo

albo ac firmo crusto, ut in pleuriticis, et morbis aliis inflammatoriis, densiore neque adeo crasso, obduci videtur.

HAEC sunt symptomata maxime communia hunc morbum comitantia, quae plus minus inter se complicata in diversis hominibus, pro diverso corporis habitu et victu apparebunt; vix enim quisquam morbus corpus humanum invadit, ubi omnia symptomata quae ei attribuuntur, eodem tempore sese ostendunt, quin potius ea solum quae particulari statui ac conditioni causarum morbificarum prae aliis maxime accommodantur.

NOTATU dignum, homines vigente aetate ac robore huic morbo magis caeteris obnoxios esse; idque hanc ob causam forte accidit, quod his solida fluidis vehementius agitentur, unde causae omnes ad sanguinem, humoresque ejus condensandum conferentes corroborantur, eoque eorum lentorem et diathesin inflammatoriam, quibus morbus magna ex parte pendere videtur, augeri necesse est.

QUAMVIS causae externae tempestatum inconstantia et variis anni temporibus ortae, quae nullis consiliis humanis praecaveri aut obsisti possunt, saepe imo plerumque morbi hujus Προκαταρτικαὶ sunt, multa tamen alia accidunt huc spectantia, quaeque eodem pertinent: quoties enim corpus violentiore aliquo exercitio, aut alio quolibet calidius redditur, ac deinde frigido ac humido aëri

aëri repente objicitur, aut aquae gelidae immergitur, morbum oriri oportet: quicquid vero perspirationem sanctorianam reprimit, idem praestare potest; at aliae sunt causae insuper, praedisponentes, quae si per se morbum non gignant, Προκαταρτικοις tamen conjunctae, morbus citius vires intendit, imo et symptomata omnia graviora et diuturniora evadunt. Hoc plethora quavis eveniat, seu evacuatione aliqua solita suppressa, sponte an arte arcessita, seu cibo lautiore, praesertim si paulo acrior sit, sive intermissis laboribus et exercitationibus quibus prius assueti fuimus.

Sanguinis quoque et humorum crasis, nulla insigni plethora Προηγȣ́μενα magna ex parte conficere potest; lentor enim eorum atque viscíditas, austeris, immaturis, et farinaceis alimentis ingestis, sive vitio ventriculi infirmi, chylove crudo magnopere augeri aut omnino forsitan generari possunt; hîc itaque causae Προηγȣμεναι corpus morbi hujus accessionibus proclivius reddant; variis igitur externis atque internis invicem conspirantibus morbus formatur, et statim aegrum misellum cruciare incipit.

Ex dictis de diagnosi difficiles aliquas questiones de hoc affectu enodare haud alienum erit.

1mo, Quaenam causa efficiens, ac humorum peccantium natura?

2do, Quaenam causa proxima, ac partes praecipue affectae.

1mo, Ex

1mo, Ex obſervatis de ſanguine et partibus quibus conſtat, liquido patet, neceſſariam quandam attractionem ſingulis partibus variorum generum fluidorum ineſſe, unde majore aut minore vi cohaerent; hac lege atque proprietate fluidorum noſtrorum quae in univerſum cunctorum in corporibus animalium obtinent, humores varii et ſucci denſitate et craſſitudine, genio atque muneribus ſuis propriis donantur; quoties vis haec plaſtica nimis augetur aut minuitur, quod ob diverſas cauſas fit, tumultus aliquis et perturbatio, in oeconomia neceſſario ſequentur; dum ſanguis ea velocitate qua moveri debet, propellitur, iſque calor neceſſarius quem natura poſtulat, ſervatur, miſtura aequalis compoſitis, ac proportio aequa variis fluidis ſimplicioribus ſemper erunt, niſi aliquid ab extra âut intus in mora ſit: ſed ex dictis de morbi hujus cauſis Προκαταρτικαὶς, multa ſunt hunc naturae ordinem pulcherrimum turbantia, unde phaenomena ejus praecipua deduci poſſunt.

Quantum ex variis ejus cauſis externis colligi poteſt, omnes ad poros cutaneos obſtruendos, et perſpirationem naturalem cohibendam, qua natura ad multas acres et nocivas particulas corpore expellendas utitur, conſpirare evidenter patet; poris autem ſic occluſis, copiam ingentem materiae iſtius excrementitiae exitibus his perpetuo avo-

lantem, idcirco concludi oportet; fluidorum itaque aucta quantitate, plethora quodammodo accidet: hinc horror, gravitas et laſſitudo corporis, et poſtea pulſus plenior, de quibus aeger queri incipit, naſci poſſunt.

Effectibus in naturae operationibus comparentibus, tantam vim materiae peregrinae corpore diu concludi, et perpetuum motum et attritionem, niſi acrimonia magnopere aucta, ſubire poſſe, omnino repugnat; quare igitur cordis et arteriarum latera perquam ſenſilia et irritabilia, ſtimulare incipiet, unde validius et frequentius contrahentur; ſed vaſis violentius agitatis, fluidiſque pro rata velocitate propulſis, omnes vires agitantes atque comprimentes, quae tantopere ad ſanguinem humoreſque rite firmandum valent, praeter naturam augeſcent, febris atque ſymptomata ejus orientur; humores, ſive mixti ſive ſeparati, partibus tenuioribus diſſipatis et abſorptis, craſſioribus vero denſatis, viſcidiores atque denſiores evadent, ſanguis quoque ruber motu rapido et attritione nimis fortiter compreſſus et compactus, ſpiſſitudinem quamdam calidam et inflammatoriam acquiret.

Ex jam memoratis, hic totus morbus ſanguinis rubri indole phlogiſtica, lymphae et ſeri lentore, acrimonia, ac viſciditate, pendere poterit; et revera quaecunque, cadaveribus eorum apertis qui hoc

hoc malo necati ſunt, notantur; ſanguinis inſuper rheumatici venae ſectione educti conditio, hanc ſententiam ſatis firmant; aliis* enim materiem pellucentem gelatinae inſtar muſculis incumbentem; aliis † multos humores ſeroſos circa muſculos eorumque tendines, conſtipari notatum eſt. Veſicatoriis hoc in morbo praecipue parti affectae admotis, artis medicae peritiſſimi, humores ſaepius hoc modo evacuatos gelatinam ‡ potius quam ſanguinis ſerum tenue referre, animadverterunt.

Haec omnia exempla, lympham et ſerum maxime vitiari ſatis evincunt, rubri enim ſanguinis habitum calidum et phlogiſticum, febrem conſequi, ac morbis omnibus inflammatoriis communem eſſe, arbitror.

Praeterea, multa argumenta ſunt quae facie et circumſtantiis morbi deduci poſſunt, ad hanc opinionem illuſtrandum haud parum conducentia.

1*mo*, Raro tumefactio ulla inſignior, aut coloris mutatio in parte affecta, conſpicitur.

2*do*, Nunquam in ſuppurationem abit, quod procul dubio accideret, ſi ſanguis ruber inſignio-

res

* Havers Oſteolog. nov. cap. de rheumatiſmo.

† Ballon. et Sneider. lib. de catarrhis ſpecial. pag. 109.

‡ Hoc celeberrimo noſtro medicinae practicae Profeſſore ſaepius obſervatum eſt.

res aliquas partes in morbo producendo, ſuſtineret.

3*tio*, Locum ſaepe mutat, huc illuc celerrime vagatur, deinde recedit, aut hanc ſive illam partem obſidet.

4*to*, Nonnunquam fixus apparet, nullo dolore praevio; imo utrobique nullis ſymptomatis tis febriculoſis notatu dignis, comparentibus.

5*to*, Sudationem et tranſpirationem inſenſibilem promovendo, hoc enim pacto, liquores et fluida limpidiora ac ſimpliciora tantum auferuntur, optime curari compertum eſt.

Haec omnia opinionem modo allegatam ſatis firmant, ſin autem ſupra obſervata nobiſcum revolvamus, vix anſa vel minima, de efficiente ejus cauſa dubitandi, relinquetur; quaedam enim ſeſe clare explicare videntur, ideoque hiſce diutius immorari omnino ſupervacaneum eſſet, quamquam forſan enodationem phaenomenôn nonnullorum ſingularium conari haud abs re foret.

Quando (3*tio*) copia materiae morbificae exigua eſt, dotibus ejus mitioribus ac magis fluidis, quod a levitate variarum ejus cauſarum eveniat, circulatione communi una feretur, ac dum procedit, vaſorum latera tenera, praeſertim ubi arctiſſima ſunt, diſtendet et vellicabit; ſed quum nondum ad tenacitatem ullam eximiam ſeu acrimoniam auctam, ob inopiam cauſarum adjutantium pervenerit, nequaquam ſiſtet, quin potius ſuccedentibus liquoribus, ſeu ope eorum

quibus

quibus commixta fuit, propelletur, unde dolores variis corporis partibus excitabit; nec ideo tamen febris nafci poterit, eo quod neque copia ejus fatis magna, feu acrimonia, imo nulla forfan aegroti habitus aptitudo praedifponens, ad eam formandum neceffaria, concurrant: hi itaque humores, corporis miti calore naturali, refolvi et tolli poffunt, aut metaftafi quadam, proprietates, longiore mora in corpore auctae, ad partes aliquas fingulares traduci poffunt, articulos, fcilicet, lumbos, coxendicem, aut organa aliqua nobiliora, videlicet, cerebrum, pulmones, &c. ibique diriffima gignantur.

Nec (4*to*) vero abhorret lentorem mitem varias ob caufas *, nullis particulis perquam acribus, fero ac lympha exiftere; quum vero hoc acciderit, tranfitus per canales minutiffimos impediri poteft; quoties autem humores aliqui id genus, vaforum tenuium orificia dilatata tranfeundo, extra vafa funduntur, aut canalibus per quos circumagi debent, concluduntur; partes fubtiliores, calore ac tepore partium ambientium, imo et actione venarum exiguarum abforbentium, quarum numerus finiri nequit, neceffario abripientur; hoc itaque modo, materia morbifica jam accumulata, denfior magis fixa et pertinacior facta, rheumatifmum fine ope febris praegreffae producere poteft. Natura atque proprietatibus materiae peccantis, variifque

* Vid. pag. 8.

que causis quibus inducitur jam explicatis, hujusmodi fluidorum status consectaria aggrediar, unde causa ejus proxima, ac partes potissimum affectae, sponte consideranda venient.

2do, INTER optimos anatomicos et physiologos, ni fallor, jam convenit, imo observatis et experimentis ope injectionum et microscopii factis, liquido probatur, canales plerosque per quos fluida transmittuntur totidem tubos * conicos esse, serie regulari decrescentes, una cum vasis variis diametrôn diversarum, lateribus excurrentibus, unde liquores varii, vasis pro magnitudine particularum quibus constant ornantur; quippe artificium quoddam mirificum excogitatum est, quo liquores subtiliores necessario comitantes, ad vasa sua propria deferantur. Globuli rubri particulae maximae in sanguine esse reperiuntur, extremitates quoque eum deferentes, quaeque prima vasculorum series habentur, eos singillatim transmittere notantur. Leewenhoec, in partibus animalium pellucidis, hoc summa cum voluptate conspexit, globuli quoque transitum majoris solito per partem canalis magis convergentem obsisti, contractionibus autem vasis vibrantibus, globulique istius elasticitate, resilire, et in sphaeroidem oblongam

* Hic velim intelligi vasa conica esse dicenda, eodem sensu ac arbor respectu ramorum, nec me fallit spatia media inter quoslibet duos ramos cylindros potius habendos ; imo divergere nonnunquam cernimus.

oblongam mutari, ac deinde per extremitatem angustam facilius transire, observavit; singuli horum, ut ab eodem notatum est, sex globulis minoribus compressis constant; hi autem in partes componentes resoluti, flavi ac globuli seri, jam apparent; quod si eadem analogia ulterius obtineat, ut Doctissimus Van Swieten observat, hosce serosos sex aliis constare oportet, atque ita deinceps, donec ad lympham, succos et humores subtilissimos, perventum sit; unde arterias serosas et lymphaticas series binas proximas esse, conjectare licet. Hi autem tubuli, ut supra dictum, coni figuram referunt, et liquores qui naturaliter per eos fluere debent, ea sunt σύστασι, ut facile extremitates convergentes pervadant, at in rheumatismo, lympha et serum, viscositatem praeternaturalem nacta sunt, omnes particulae constituentes in massas majores congeruntur, quare quamquam serum sat facile per rubras, ac lympha per arterias serosas transeant, et in orificia aperta suorum vasorum recipiantur, eo quod conorum totidem bases sint, attamen cum propius extremitates sive apices accedant, magnitudo ac densitas, ne longius procedant, obstabunt, unde obstructio nascetur; hoc autem hisce partibus eveniet, ubi vasa hujus generis quamplurima sunt, nec adeo facile dilatantur, ac ubi vis cordis propellens parum aut nihil proficit.

PROXIMA

Proxima igitur causa obstructio forsan habenda, idque in partibus densioribus ac magis compactis, ubi hi liquores plurimum scatent, et circulationis velocitas aliquanto minuitur; quo autem partes hae melius cognoscantur, phaenomena sequentia expendenda sunt.

(α) Cum morbus in articulis fixus sit, aeger vel minimo motu, nullo nec tumore, nec coloris mutatione comparentibus, neque fibris ullis muscularibus juxta partem affectam locatis, gravissime queritur.

(β) Saepe quum spatiis mediis sedem fixerit, brachio scilicet, aegrotus musculis contrectatis aut vellicatis, haud ita moleste feret, sin autem os gravius comprimatur, summo dolore afficitur.

(γ) Superficies quoque interdum multum dolet, nec partes exteriores, nisi summa molestia tangere licet.

(δ) Saepe quum manus parti affectae admovetur calor quidam et acrimonia sentitur. At hoc in acuto genere praecipue fit, auctis enim in vasis sanguineis contractionibus vibrantibus, dolore natis, sanguinis velocitas in partibus ambientibus forsitan augeri potest, et hinc calor; at in longo partes fere frigidae sunt.

Ex

Ex hiſce, articulorum ligamenta et capſulas ac tendinum vaginas (α) juxta locum cui inſeruntur, perioſteum (β) et muſculorum aponeuroſes (γ) maxime affici, colligere licet. Ex dictis vero de cauſa proxima, haec opinio ſatis ſtabilitur, quod omnes hae partes *, ſi aliis compararentur, exiguam copiam ſanguinis rubri per ſe circumacti, habent, fibrae earum haud ita facile ad vim fluidorum impellentem excurrunt, et corporis partibus exterioribus plerumque locantur.

† AUCTOR doctiſſimus ac celeberrimus, multis et variis experimentis, atque ex eo quod nervi illis partibus inveſtigari vix queant, eas ſenſu omnino deſtitui, ſummo cum labore, probare aggreſſus eſt; corollaria tamen inde deducta, ſolida baſi niti, nequaquam in animum inducere poſſum: nec ex difficultate nervos inveſtigandi, eas his omnino deſtitui concludere licet; multae obſervationes de partium conditione, corporis aetate varia, quin et ipſius naturae tenor conſtans et perpetuus, in conſtructione partium conſpectiorum, huic opinioni refragantur, ac errore implicitam

 omnino

* Scriptores morbo, pro diverſis partibus quas invadit, diverſa nomina dederunt; quoties lumbos ſive os ſacrum occupat, lumbago nuncupatur; ſin vero os coccygis et ſacrum affecerit, dolor iſchiadicus dicitur, &c. Nec hîc ad ſingulares curationes confugere opus eſt, quum methodus medendi generalis huic uſui ſatis inſerviat.

† Vid. Haller de partibus corporis humani ſenſilibus et irritabilibus.

omnino esse demonstrant; sed cum celeberrimus ille Medicus D. Whytt *, noster Professor medicinae theoreticae, hanc rem adeo luculenter tractavit, atque omnibus quae hic opponi solent, quo minus morbi cujusvis molesti sedes sint, cumulate respondit; hic notanda missa faciam, uno tantum experimento contentus, quod mihi animi causa, facere nuper contigit, Num scilicet, tendines facultate sentiendi necne donentur?

Die Aprilis 26. anno 1756, hora sexta pomeridiana, tendinem Achillis canis denudavi, vaginam autem ejus intactam reliqui; sed quo rem quam accuratissime expedirem, tendinem nec secui, nec pupugi; animal enim tunc temporis, tanto dolore afficiebatur, ut phaenomena rite notare nequiverim, tempus itaque opportunius expectare satius duxi. Horis quinque elapsis, tendinem lanceola leniter pertudi: hoc facto, signa doloris nonnulla ululatu edebat; instrumento vero ulterius protruso, minus perturbari videbatur: tendinem deinde ter aut quater lanceolae cuspide compunxi; quoties autem hoc fieret, crus toties subduxit, ac subinde ululavit. Vinculis jam solutus, nullo dolore, praeterquam eo, qui ex integumentis laesis ortus esset, cruciari videbatur; huc illuc enim cursitavit, perinde ac operatio nulla instituta fuisset: post horam humi procubuit, vulnera lambebat, ac identidem leniter ululabat.

Postridie

* See Dr. Whytt's Physiological Essays.

Postridie hora prima pomeridiana, Medico celeberrimo Whytt Prof. noſt. medicin. theoret. et Walker, condiſcipulo quoque inſuper praeſentibus, tegumenta undequaque paulo altius diſſecui, et ſcalpello per vaginam adacto, membrum vulneratum ſubtraxit, ac dolorem ſono quodam tremulo, ſimul ſignificabat; involucrum denuo revolutum pupugi, atque confeſtim eodem modo ac prius afficiebatur; tendinem jam apertum et denudatum, hamo arripui, atque aliquamdiu ſuſtinui, donec animal placidius evaderet; tendine aliquoties compuncto, dolore nullo inſigniore, quantum conjicere poteram, cruciari videbatur.

Post intervallum quatuor et viginti horarum, Medici Barclay et Walker, tendinem ejuſdem canis aliquamdiu conductore ſuſpenſum, compunxerunt, ac deinde tranſverſim penitus ſecuerunt, cum ille interim nulla doloris indicia daret, ſubſtantia tamen cellulari, tendinem ambiente, contacta, aegerrime ferre conſtabat.

Hoc experimento facto, tendo nullum ſenſum acutum habere viſus eſt, quanquam nullus dubito animali ſenſum quemdam obtuſum ſive hebetem fuiſſe, ei ſimilem, quem cute aut unguibus ſentimus, quoties digitus iis admovetur: vagina autem eum intime veſtiens vel in ſtatu ſano, acuta ſentiendi facultate praedita videbatur; quanto vero magis partibus inflammatis, diſtentis, et diſtractis, hoc ob-

tinebit.

tinebit. Hic* igitur alia praeter corneam exceptio, qua membranas ſenſu neutiquam vacuas ſatis oſtenditur; ac quamvis hoc quoad tendines incertum eſſe concedatur, eorum tamen vaginas, rheumatiſmi, neutiquam dolore acutiſſimo immunis, ſedem eſſe poſſe, quodammodo probatur. Annon membrana haec lanceola puncta, dum ſanguis vena emittitur, anſam ſymptomatibus praebeat? Annon membrana haec inflammata †, uno e tendinibus nobilis cujuſdam juxta talum arrepto, convulſiones horrendas ſuſcitare potuit?

PROGNOSIS.

Quotquot Auctores de hoc morbo ſcripſerunt, prognoſtica perfunctorie nimis, tanquam levia ac minus periculoſa, ſicco pede praeterierunt; raro enim, aut vix unquam funeſtum eſſe vulgo affirmant; hoc autem in cauſa ſit, cur hic morbus illis adeo leviter perſtrictus ſit, imo cur aegro ad empiricos et aniculas potius quam medicos, ſaepe decurratur; quicunque vero, quanta mala dira, quod ſaepius fit, materia morbifica, ab partibus exterioribus ad interiores tranſlata, oriantur, ſecum reputet, opinionem talem, medicum in oſcitantiam et errores, ac aegrotum in ſummum vitae diſcrimen, adducturam, comperiet: quando vero et quibus ſignis, periculum aut ſalutem expectare

* See D. Whytt's Phyſiological Eſſays, page 112.

† Vid. Van Swieten comment. in Aphor. Boerhaav. vol. ii. pag. 241.

pectare licet, prognosticis in formam aphorismorum totidem generalium redactis, indicare conabor; exinde ad methodum medendi progrediar; neque enim limites dissertatiunculae hujus, rem pluribus verbis, dilucidare patientur.

Cum dolor atque symptomata caetera subito abiverint, febrisque etiamnum, unà cum urina clara ac limpida permanserit; viscera inflammata, asthma, peripneumonia, delirium, convulsiones ac mors, metuenda sunt; talia autem nequaquam praeter solitum, eveniunt.

Sin vero dolor aliaque symptomata in chronico, ac febris simul, in rheumatismo acuto, evanescant; si aeger eodem tempore libere perspiret, ac sudor partibus affectis eliciatur, sive urina crassa ac copiosa sit; omen faustum est, imo sanitas plena atque absoluta, expectanda est.

Si rheumatismus morbis interni generis, maxime delirio ac convulsioni, successerit, aegrum plerumque levare, ac forsitan omnino morbo liberare poterit; at hoc in casu judicio subacto tractari debet, ne recurrat, ac aegrum perimat.

Diarrhoea sponte interveniens, morbum critice solvere potest; hoc enim modo materia peccans tolli poterit, ac proinde, nisi violentior sit, mos ei gerendus est.

Si morbus acutus sit, raro ultra dies viginti aut quadraginta perdurat, symptomata autem dolores acerbissimos adferunt. Sin vero longus sit, aegro male

male, ſive methodo neutiquam idonea tractato, per menſes aliquot ſive annos, imo per totum vitae ſpatium prorogari poteſt; luxationes in articulis aliis, in aliis vero anchyloſes, creare poteſt.

METHODUS MEDENDI.

De Diagnoſi et Prognoſi ſatis jam dictum arbitror, methodus medendi nunc perpendenda reſtat; quo autem tota res clarius pateat, tres indicationes in medium proferre lubuit, ad quas ſi curatio rite dirigatur, aegri ſalutem minime deſperandam confido: *ſcilicet*,

1mo, Ut febris minuatur, ac dolor mitigetur.

2do, Ut materia morbifica attenuetur, ac corpore eliminetur.

3tio, Ut partes debilitatae corroborentur.

1mo, Cum de morbi hujus cauſis diſſereremus, ſanguinis non ſolum viſcoſitatem et acrimoniam, ſed et quantitatem auctam, oſtendere conati ſumus; unde febris vel gignitur, aut plurimum certe augetur. Venae ſectio igitur imprimis neceſſaria videtur: nullum enim remedium novimus, quo fluidi arterialis ac venoſi copia, celerius minuatur, nec quo malis inde ortis, melius occurratur: hoc enim pacto, liquorum contra canalium latera renixus,

imo

imo et ſtimulus imminuitur, hi quoque copia minores, frigidiores, laxiores, ac magis ſolubiles fiunt, unde ſecretio eorum ac excretio, haud parum promovebitur.

PHLEBOTOMIA igitur pro aegri viribus ad 10, 12, ſive 15 uncias celebrari poteſt; haec autem, die uno alterove intercalato, ſemel aut bis, imo ſaepius, prout morbi conditio ſuadet, repetenda eſt: quandocunque vero febris remiſſior eſſe coeperit, ut nihil periculi inde timendum ſit, operatio haec omnino omittenda eſt, eo quod ratio et experientia, nil febri leviuſcula efficacius ad morbum tollendum conferre, ſatis docent; quare in rheumatiſmo chronico, ubi nullum auxilium iſtius modi datur, imo et in acuto, ubi febris vires ſuas parum intendit, medicamenta pungentia ac aromatica, optimo jure ac feliciter ſaepe adhibentur; ope enim particularum penetrantium et effluviis odoriferis, vaſa vehementius contrahuntur, humores ſtagnantes in motum ſuſcitantur, unde via qua attenuari atque expelli poſſint, ſternitur: at ni hoc fiat, morbus diu figatur, luxationes quoque et anchyloſes accedant. Cataplaſmata emollientia et fomenta, pane candido et lacte, liliorum radicibus, croco, malva althaea, &c. confecta, ac parti affectae applicata, dolores optime levabunt: his enim durities ac rigiditas quodammodo tolluntur, vaſa laxantur, cauſis quoque morbificis tranſitus liberior conciliatur.

liatur. Partes quoque affectas lanula involvere, haud parum juvabit. Haec de indicatione prima dicenda habui, ad secundam nunc accingar.

2do, Ut materia morbifica attenuetur, ac corpore eliminetur.

In morbis omnibus generis inflammatorii, curatio, sanguinis attenuatione, maxima ex parte nititur; quoties autem crasin phlogisticam, et spissitudinem firmam, nactus sit, diluentia sola adhibita, parum fere aut nihil proficiunt; liquida enim plerumque eadem copia, qua ingesta fuerunt, evacuari solent, ac proinde consilio quo dabantur, neutiquam respondisse, affirmare possumus; diluentia igitur resolventibus commiscenda sunt: his enim viribus conjunctis agentibus, valida illa cohaesio, quam particulae fluidorum praeter naturam adeptae sunt, solvetur; particulis quoque eorum levibus et aquosis, sese inter globulos concretos insinuantibus, massa tota magis liquida reddetur: motus atque agitatio lenis, hic, perutilia erunt, horum enim ope, liquores intimius commiscentur atque adunantur; particulis quoque densioribus, frictione moderatius aucta, latera invicem collidentur, unde deinceps eas conteri atque dissolvi oportebit: hoc forsitan in causa sit, cur febris gradus levior huic morbo curando, auxilium adeo insigne praestet; calore enim ac motu nimio,

nimio, et vice verſa, effectus fere ſimiles proveniunt. Cum igitur morbus obſtructa perſpiratione plerumque naſcatur, evacuatione aucta ac reſtituta optime forſan curabitur; omnia, itaque indole miti, reſolventi, attenuanti, ac ſudorifica praedita, praeſcribenda ſunt, neque his plus nimio indulgendum; nam aegro ſi ſudore nimis diffluat, haud parum periculi imminet, ne morbus auctus, ſanguinis et humorum partibus tenuioribus ſubito diſſipatis, magis fixus ac obſtinatior evadat. Haec igitur diluentia, ſerum ſcil. lactis, aqua hordeacea, una cum liquoribus quibuſvis generis ejuſdem, praeſcribi poſſunt. Sales chymici neutrales, eodem tempore tartarus ſcil. regeneratus, vitriolatus, &c. nitrum quoque, ſpiritus mindereri, et vinum benedictum parva copia, ſanguinem, nec aucto ejus motu, inſigniter attenuant et diluunt, ac proinde tuto et feliciter adminiſtrari poſſunt. Bardanae, petroſelini, ac herbarum, et radicum aperientium decocta, egregio uſui inſerviunt; omnium autem medicamentorum in rheumatiſmo chronico praeſertim, nullum, gummi, callidis, guaiaco ſcilicet, &c. Senekae quoque decocto, ad praeſcripta Pharmacopoeiae Pauperum Edinburgenſis, confecto, remedium efficacius praeſtat.

Decoctum hocce in morbis omnibus obſtructione natis nullis poſtponendum videtur, leniter

quippe calefacit et attenuat, imo quantum ex effectis ejus conjectare licet, perspirationem febri nec aucta nec suscitata, ita ut percipi possit, magnopere promovet: multis ac variis asthmaticis et rheumaticis, in Nosocomio regio Edinensi, D. Rutherfoord medicinae practicae Professore celeberrimo, datum; nemini autem laetiore eventu, quam cuidam lepra laboranti; ope enim ejus ad sanitatem pristinam restitutus est, nec sine omnium admiratione, qui tunc temporis sub auspiciis ejus, rei medicae operam dabant. Annon remedium hoc in casibus permultis venereis adhiberi potest?

PURGANTIA quoque, si statu fluido exhibeantur, ad sanguinis lentorem solvendum haud parum momenti adferunt: haec autem potionibus sive decoctis, senna, tamarindis, cassia, &c. confectis dari possunt. Cauto itaque usu remediorum quae memorata sunt, indicationi huic optime responderi potest; quicunque vero morbis feliciter mederi instituit, eum, quo modo ac quo tempore, remedium exhibendum, aeque ac medicamenti genium, callere oportet. Indicatio tertia et ultima nunc tractanda restat, scilicet

3tio, UT partes debilitatae corroborentur.

LANGUOR sive debilitas insignior, hunc morbum raro sequuntur, ni violentior, et aegro nimis crebrò sanguis missus sit. Hoc Sydenhamus

re

re ipſa verum eſſe comperit, conſilium itaque mutavit, ac rem, alia via, quae hac methodo omnino pendebat, aggreſſus eſt. Sin vero aeger languidior ac debilior ſit, cibi nutrientes ac concoctu faciles, praebendi ſunt: aër ſaluber et purus, una cum modicis ac lenibus exercitiis perutilia erunt; amara quoque ſtomacho grata, danda ſunt ; ad balneum denique confugere licet, quo nihil ad ſolidorum tonum et elaſticitatem revocandum praeſtantius datur.

FINIS.